

# CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

IANUENSIS

BEATIFICATIONIS et CANONIZATIONIS

SERVAE DEI

MARIAE PLAUTILLAE

(in saeculo: LUCIAE CAVALLO)

RELIGIOSAE PROFESSAE

INSTITUTI PARVARUM SORORUM MISSIONARIARUM A CARITATE

(1913-1947)

---

## DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Servite Domino in laetitia» (*Ps* 100,2).

Adhortatio antiqui Psalmistae Israelis in integra resonat vita Servae Dei Mariae Plautillae: illa, Domino prorsus dedita, super omnia Eum dilexit atque extraordinariam caritatem in constanti et laeta promptitudine erga fratres indigentiores ostendit.

Maria Plautilla, in saeculo Lucia Cavallo, die 18 mensis Novembris anno 1913 in loco vulgo *Roata Chiusani* apud *Centallo*, provinciae Cuneensis, est orta, e paupere familia agricolarum. Ma-

tre orbata 12 annos nata, multa sacrificia obire debuit ut minores fratres sustentaret. Ab illo tempore sensu laetitiae eminuit, quam semper servavit itemque continuam exhibuit diligentiam in opere ac potissimum profundam pietatem et vehementem zelum, quae in cotidiana Eucharistiae participatione significabantur atque in variis paroeciae operibus. Hanc ob spiritalem viam, simul cum magna simplicitate, parentum et amicorum admirationem sibi comparavit.

Adulescens, Lucia in animo alere coepit fervens desiderium in vitam religiosam amplectendi atque missionalem vocationem sequendi. Ad eiusmodi propositum, parochus duxit eam ad Congregationem Parvarum Sororum Missionariarum a Caritate, quam aliquot ante annos sanctus Aloisius Orione condiderat. Serva Dei hanc in Congregationem prope Derthonam est accepta, urbem videlicet provinciae Alexandriae; paulo post in Institutum "Paverano" Ianuae translata est, ut egentibus serviret, praesertim insanis, invalidis vel gravibus morbis affectis. Primis annis vitae religiosae Maria Plautilla diploma etiam infirmariae est consecuta; expleta novitiatus periodo, die 7 mensis Decembris anno 1937 in manibus sancti Fundatoris vota religiosa nuncupavit.

Suo in munere explendo, Serva Dei mox excellentis et omnimodae deditiois erga omnes infirmos exemplar exstitit. Illa revera, absque querela, difficiliora etiam et acerbiora adiuncta serene obire noverat. Hanc ob causam, Maria Plautilla statim uti authentica filia sancti Aloisii Orione habebatur, vera caritatis testis profundaeque cum Domino familiaritatis et consuetudinis. Singulos dies gerebat in alto spiritu humilitatis, silentii, orationis et meditationis. Domina fuit et religiosa plena profundae fidei atque inconcussae spei, divinae voluntati prorsus dedita. Continuum exsequens erga egentiores apostolatam, demonstravit se mitem ac

fortitudine magnoque animo praeditam. Etiam inter funestos eventus pyrobolorum iactum altero saeviente bello mundiali, quibus Institutum primis diebus mensis Novembris anno 1942 affectum est, zelum demonstravit populo graviter sauciato solamen ferendo.

Autumni tempore anno 1945, Maria Plautilla gravi cordis morbo correpta est, forsitan ob fatigationem e continuis et intensis provenientem operibus. Etiam si instabiles habuerit valetudinis condiciones, numquam sibi pepercit nec infirmis subvenire destitit. Ob physicum mentalemque statum, valetudinis condicio in deterius ruit, ita ut Serva Dei alium cordis collapsum subiret. Inter diuturnos morbos et dolores, Serva Dei, omnium affectu circumdata, die 5 mensis Octobris anno 1947 Ianuae, apud Institutum "Paverano", pie in Domino obdormivit.


Ob diffusam sanctitatis famam, a die 2 mensis Octobris anno 1986 ad diem 6 mensis Octobris anno 1989, apud Curiam Archidioecesanam Ianuensem Inquisitio dioecesana est acta, cuius iuridica auctoritas per decretum diei 1 mensis Februarii anno 1991 a Congregatione de Causis Sanctorum est recognita. Parata *Positione*, disceptatum est, ad suetas normas, an Serva Dei virtutes heroico modo exercuisset. Die 15 mensis Septembris anno 2009 Peculiaris Consultorum Theologorum Congressus, positivo cum exitu, habitus est. In Sessione Ordinaria die 4 mensis Maii anno 2010 Patres Cardinales et Episcopi, audita relatione Ponentis Causae Excellentissimi Domini Hieronymi Grillo, Episcopi emeriti Centumcellarum-Tarquiniensis, edixerunt Servam Dei heroicum in modum virtutes theologales, cardinales iisque adnexas excoluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Archiepiscopum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis


Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Mariae Plautillae (in saec.: Luciae Cavallo), Sororis Professae Instituti Parvarum Sororum Missionariarum a Caritate, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.


Datum Romae, die 1 mensis Iulii A.D. 2010.



Angelus card. Amato



† ANGELUS AMATO, S.D.B.  
Archiep. tit. Silensis  
*Praefectus*



+ Michael Di Ruberto

† MICHAËL DI RUBERTO  
Archiep. tit. Biccarensis  
*a Secretis*